

CONIMBRIA.



ONIMBRIA, vulgo Coimbra, olim Regni Portugalliae caput, Veteribus quibusdam, Caliabria, alijs Colimbria, siue Colibria, etiam Coimbria Isidoro & Rosendio nuncupata, multis naturae & artis decorata splendoribus. Nam loco amoenissimo in rupe sita, vnde oiuarum syluis, veluti Atherae, quarum vicem hodie, quasi sustinet, vnetisq; cingitur; Ad Muladam, siue Mondam, alias Mondegam, fluuium nobilem, sita, qui duas separatas urbis partes coniungit, qui sanè fluuius, præter Tagum & Du-
riam, in Lusitania præcipuus est: distat hæc vrbs ab huius fluij ostio, quod ad occasum est, octo leucis, itinere per agros fertilissimos, frugumque fructuissimos letto. Par-
uis interim cymbis, præsertim verno tempore nauigatur, tantam quippe arenæ copiam, præser-
tim verno tempore, secum trahit, vt cæcis vadis multis in locis abundet. Ripa verò, ea ex par-
te, vbi Monasterium S. Francisci est, silicibus referta, amoenissimas deambulationes efficit. Nam et si Lusitanæ ager, plerique in locis horridus, argillosus, ac sterilis, huius tamen urbis territo-
rium, totius Regni optimum præstantissimumq; censetur. Montes, quos habet vicinos, Stra-
de Altoba, patriotæ nominant, oliuis, vinetis, & omnis generis fructiferis arboribus, ad delecta-
tionem, & commodum referti. Quin & multis limpidissimæ aquæ fontibus Conimbria irri-
gatur, præcipue verò aqueductu celebri à Rege Sebastiano Anno Salutis M. D. LXXII. ma-
ximo sumptu perfecto. Ex illo enim, ad altiorem urbis collém, qui à tergo Regiæ est, vbi forum
Studioorum existit, tanta clarissimæ & dulcissimæ aquæ copia in stagnum marmoreum infun-
ditur, vt per omnes plateas totius anni tempore quasi torrens, ad varios ciuium usus, & multas
commodates deriuetur. Quin & maiore fœlicitate Conimbria præstat, Cathedrali optimè
fundata Ecclesia, & Vniuersali præstantissimarum artium studio, quod & loci amœnitatis, & va-
riæ præstantissimarum artium professiones comprehendunt. Ibi enim Regijs stipendijs, Theologiae,
vtriusque Iuris, & Medicinarum Facultatis Professores, liberaliter fouentur ac salariantur.
In quarum singulis, vt quotidianis prælectionibus Studioſi in officio contineantur, quatuor
sunt Doctores ordinarij, qui accuratissimis & assiduis lectionum ac disputationum exercitijs, ad
nitorem ac summam elegantiam, Studioorum ingenia expoliunt. Sunt etiam publici & pecu-
liares eruditarum linguarum professores, Humanitatis verò scientias, Patres Societatis IESV,
accurata industria, & magno profectu docent, qui iuuentutem simul in pietate, & bonis literis
erudiunt. Sunt hic etiam quatuor Artium cursus, Louanienses Pædagogia; Colonenses, Eurs-
fas; Alij, Collegia nominant, in quib. Philosophica, Metaphysica, & Mathematica præleguntur.
Sunt & alia à Prælatis, magnisq; viris dotata, & instituta Collegia, quorum descriptio nimis longa
gam narrationem exigit. Horum appellationes, in ipsa lamina, siue pictura, exprimuntur. Stu-
diosi omnes, antiquas modestiæ, grauitatis, & scholarum leges in habitu obseruant, togati nam-
que incedere coguntur, Magno, frequentiisque sunt numero. Priuata, à ciuibus separata, ac pri-
uilegiata iurisdictione gaudent, In qua ædiles, præfectos, & iustitiæ administratores ex ipso
Vniuersitatis gremio eligunt, Quietiam in peculiari Vniuersitatis foro, pro
tribunali præsident, ius dicunt, Et rerum venia
lium precia moderantur.